

dessen Ihre Excellenz H. Feldmarschall Khevenhüller, nachdem er gegen Herrn Prelaten über die empfangene Hoflichkeiten eine besondere Vergnügen gezeigt, auch desselben Fleiss und Sorgfältigkeit in Herbeyschaffung alles Nöthigen wehrenden solchen Hauptquartier Ihrer königl. Majestät der Königin anzuräumen versichert, sich nach eingenommenem Mittagmahl dahin verfiel. Gleich hierauf lief die Nachricht ein, wie dass Ihre königl. Hoheit der Herrzog von Lothringen, Grossherrzog von Toskana, hier einzutreffen gedenkhe, derothalben dann alle samentliche Granadirs sich in parada [F. 24.] stellten; zumahlen aber die Abreis Ihrer Excellenz des Fehldmarschall selbigen unter dem Herweg unterbracht wurde, hat selbiger sich nacher Freyling begeben.¹⁾

(Schluss folgt im nächsten Hefte.)

De Canonis Missae Apostolice cum nova dicti Canonis explanatione Disquisitio Critico-Liturgica.

Auctore R. P. D. Francisco Beda Plaine, O. S. B.

Exordium: De pretio Canonis Missae.

Liturgia, quae jure merito habetur a Theologis quasi fons seu praecipuum instrumentum Traditionis non scriptae in Ecclesia,²⁾ nihil nobis offert augustius seu sublimius sacrificio altaris, in quo innovatur mystice et incruente immolatio vera et cruenta Christi in Golgotha. Porro in hoc ipso sacrificio altaris tam veneratione digno, adest pars quaedam majoris adhuc momenti, quam preces antecedentes aut sequentes, et alii ritus praeparant seu adornant et ditant, scilicet Canon Missae seu Actionis, id est ea pars sacrosancti sacrificii, in qua explicite

¹⁾ Darnach ist Arneth, Maria Theresia II, S. 9, im Irrthume, wenn er schreibt: »Am 21. Jänner 1742 traf er (Franz von Lothringen) in Khevenhüllers Hauptquartier zu Wilhering ein und übernahm wenigstens dem Namen nach das Commando.« Ueberhaupt ist die Verlegung des Hauptquartiers von Wilhering nach Freiling bisher völlig unbekannt. Selbst Stülz behauptet in seiner Geschichte des Stiftes Wilhering S. 356: »Feldmarschall Khevenhiller (schlug) in Wilhering sein Hauptquartier auf vom 7. bis zum 24. Jänner d. i. bis zur Capitulation der Stadt Linz.« Wenn dann Arneth (S. 10.) weiter erzählt, der Grossherzog habe dem Feldmarschall ein Porträt der Königin mit einem Schreiben derselben überbracht, dieser habe es bei offener Tafel mit lauter Stimme vorgelesen und bei den anwesenden Officieren eine so weihevollte Stimmung erzeugt, dass sich alle von ihren Sitzen erhoben und schwuren, Gut und Blut für ihre angebetete Königin zu opfern, so ist nicht Wilhering, wie Arneth und nach ihm Thürheim, Khevenhüller, S. 175, annehmen, sondern Freiling Zeuge dieser Begeisterung gewesen.

²⁾ Bossuet: Etats d'Oraison, lib. 6 initio.

describuntur ordo rituum et tenor verborum, quibus mediantibus et divina potentia agente, panis et vinum, quae oblata fuerunt, transsubstantiantur, fiuntque corpus et sanguis Christi. Hinc patet quam maximi sint momenti disquisitiones, quae pro objecto habent istum Missae Canonem, explanationem sensus illius literalis seu mystici, epocham ejus redactionis et alia similia. Quod plane intelligentes theologi, praesertim scholastici, tam multas de Canone Missae ediderunt tractationes et opuscula, ut sat numerosa efformaretur Bibliotheca ex libris quae circa Canonem unice versantur.

Plura nihilominus de eodem remanent dubia seu tenebris et obscuritatibus involuta. Utrum verbi gratia, et quo sensu iste Canon aetati apostolicae pertineat, a pluribus eruditis etiam catholicis dubitatur seu etiam negatur, licet tamen major numerus theologorum Catholicorum stat pro parte affirmativa. Quocirca hanc quaestionem, unam ex majoribus quoad sacerdotes, quae excogitari possunt, in meliorem lucem ponendi curam lubens suscepi, sperans operam gratam et utilem fore. Aliunde eadem occasione et quasi necessario adducar ad explanandum breviter eundem Canonem, necnon ad discutiendas sat obscuras Liturgiæ Ambrosianae, Gallicanae et Gothicae origines et aetatem.

Ut vero methodice ordinetur praesens disquisitio liturgica, primo quid significant etymologica duo verba Canon Missae, et unde ortus sit illorum usus, paucis verbis evolvam.

Art. 1. De locutionibus Canon et Missa, earum
etymologia et usu antiquo.

Canon Missae, ut jam dixi, nihil aliud est quam ea pars sacrificii altaris, in qua explicite describuntur ordo rituum et tenor verborum, quibus utitur Ecclesia Romana ad conficienda mysteria augusta Corporis et Sanguinis Christi. Ista vero locutio, etymologice sumpta, duabus vocibus, ut patet, constat, quae singillatim examinari debent.

Et primo quoad verbum Missa, etymologice sumptum, aliquoties assertum fuit inter eruditos illud ex hebraico idiomate procedere. Vox etenim hebraica *Misschah*¹⁾ idem sonat ac oblatio et magnam habet affinitatem cum voce latina Missa. Haec opinio nihilominus multum mihi improbabilis videtur; etenim vox liturgica, de qua tractatur, Romae ortum habuit in tempore, quo idioma hebraicum nulla auctoritate gaudebat. Insuper eadem vox nullo unquam tempore fuit in usu apud Orientales dum e contra voces ecclesiasticae ex hebraica lingua desumptae, ut Alleluia, Amen, Sabaoth et similia Liturgiis Occidentalibus et Orientalibus sunt communia.

¹⁾ מִסָּחָה

Apud Romanos vero ante Christum jam vulgaris erat vox missa et frequenter usurpabatur in sensu dimissionis:¹⁾ „A proprietate sermonis in ecclesiis palatiisque Missa fieri pronuntiatur cum populus ab observatione dimittitur.“²⁾ Qua de causa eam christiani in eodem ac ethnici sensu usurpaverant forsitan ut facilius in abscondito remanerent eorum sacra mysteria, quamdiu vixerunt mixtim cum iisdem ethnicis conjuncti. Hinc ista formula, cujus usus adhuc perseverat:

„Ite, missa est“ idem sonat ac si diceretur: „Ite ad domos vestras, jam hora est dimissionis.“ Quae formula tribus vicibus antiquitus in unoquoque solemnium altaris sacrificio repetebatur, una pro dimissione Catechumenorum, altera pro dimissione poenitentium, tertia tandem pro conclusione officii et dimissione fidelium.

Verumtamen haec vox missa, licet Romae vulgaris et vulgata, non fuit forsitan eodem modo accepta seu usitata in Africa, in Galliis et in aliis regionibus nostris Occidentalibus per quatuor priora Ecclesiae secula. Eam minime invenire potui apud Tertullianum et Cyprianum, Lactantium et Hilarium, S. Ambrosius primus est, meo iudicio, qui ea utitur in scriptis suis dum haec mandat sorori suae Marcellinae. „Dimissis catechumenis . . . mansi in meo munere, et missam facere coepi.“³⁾ Ante eum Patres Latini iisdem fere verbis ac graeci utebantur, scilicet Eucharistia, sacrificio, sacra oblatione etc. quando tractabant de mysterio altaris. Quod quidem novum praebet vigorem certitudinis assertioni meae de latina etymologia vocis Missa. Pauca nunc de altera voce: Canon.

Canon vox indubie graeca (κανων) est idem significans ac latinae voces Regula seu statutum, sed ex se nihil habet commune cum sacrificio altaris, quamdiu non unitur alteri voci missa seu actio. Qua unione facta, sensus locutionis ex ea procedentis ita clare definitur et ab omni ambiguitate eximitur, ut haec locutio non debuerit in usum venire, vigente apud Christianos lege sacreti, id est, currentibus quatuor prioribus Ecclesiae seculis. Nam hujus vocis usurpatio tunc temporis habita fuisset tanquam profanatio rei sacrae et quasi dare sanctum canibus. Revera, haec duo verba simul juncta: Canon Missae, non solum desunt in Liturgiis orientalibus, sed etiam minime inveniuntur apud Sanctos Patres et scriptores ecclesiasticos occidentales ante ultimos annos sexti seculi. In exemplum adducam solummodo doctissimos Sanctos Augustinum et Isidorum.

¹⁾ Suetonius: Caligula n. 25. Codex Theodosian. De Proximis. 3 etc. etc.

²⁾ Avitus Viennensis: Epistol. lib. 2, epist. I. n. 1.

³⁾ Ambrosii Epist. XX. n. 4 et 5.

Episcopus Hipponensis recensens quasi ex professo voces graecas, quae temporibus suis ex longo usu Latinae factae fuerant, has enumerat explicite, nempe Angelus, Apostolus, Martyr etc.¹⁾ prorsus vero silet de voce Canon: quod profecto non contigisset, si jam locutio Canon Missae apud Africos seu etiam Romanos usurpata fuisset.

Similiter Isidorus Hispalensis loquitur expresse de canonicis Evangeliorum et conciliorum,²⁾ tacet vero ut Augustinus de Canone Missae, quamvis in duobus circumstantiis suam sententiam de hac re explicitis verbis proferre debuisset, scilicet in capite decimo nono libri Etymologiarum sexti, ubi singillatim partes ac etiam verba hebraica seu graeca usitata in sacrificio altaris exponuntur, et in libro primo de ecclesiasticis officiis, ubi eodem modo tractat de missa et ejus partibus ac etiam de variis Canonis sectionibus, quin tamen haec locutio in medium ab eo adducatur.³⁾

Veruntamen vivente S. Isidoro, non jam ignota remanserat apud Italos locutio, de qua agitur, siquidem eam aequivalenter usurpaverat Romanus Pontifex Vigilius scribens ad Profuturum de textu Canonicae precis⁴⁾ ac post eum omnino explicite S. Gregorius Magnus, cujus verba in tertio articulo proferentur. Sed iste loquendi modus non adhuc Italiae limites excesserat nec erat in Occidente communis: quod tantummodo contigit in octavo seculo, testibus Aldhelmo et Beda.⁵⁾

Etymologia et antiquo usu locutionis: Canon Missae ita breviter elucidatis, nunc antequam alterius procedam, exponam quo sensu iste canon, licet minime sit scriptio personalis alicujus apostolorum, possit tamen haberi tanquam spectans ad aetatem apostolicam.

Art. 2. De Natura seu Caractere proprio Apostolici- tatis Canonis Missae.

Dominus noster Jesus Christus, Deus et homo instituit solus et solus instituere potuit unumquodque septem sacramentorum, quibus Ecclesiam misericorditer ditavit, ut essent in ea fontes inexhausti ac inexhauribiles fecunditatis spiritualis et vitae supernaturalis. Solus etiam uniuscujusque eorum materiam et formam determinavit saltem in genere et quoad essentialia, nam quoad acciden-

1) S. Augustinus; Sermo 319, n. 3.

2) Etymologiar. VI, 15 et 16.

3) De Ecclesiast. officiis 1, XI.

4) Thiel; Epistolae Romanos. Pontif. t. 1, pg.

5) Aldhelmus; De Laude Virginit. c. 42. Hist. ecclesiast. Anglor. lib. 2, c. 1.

talia et particularia, curam ea statuendi et praescribendi reliquit iis qui decursu temporum plebis Christianae res spirituales administrarent. Inde intelligitur cur materia et forma septem sacramentorum, licet eadem sint substantialiter in Oriente et in Occidente, tantam tamen varietatem seu diversitatem in accidentalibus exhibeant. Sacramentum Eucharistiae, omnium augustissimum, legi communi in eo subditur, quanquam in causa sit ipsius Christi persona. Unde materia, forma et ritus divinissimi Eucharistiae sacramenti ita mutabilia remanserunt sub multiplici respectu ut in his quoad accidentalia inveniatur varietas seu diversitas juxta locorum et temporum qualitates. Porro res aliter sese haberent si unus ex collegio Apostolorum personaliter hanc formam, hosque ritus in particulari determinaverat. Nam tunc haec forma, istique ritus, ratione auctoritatis apostolicae, quae nullos loci seu temporis limites noverat, immutabilia ipso facto fiebant, ita ut nunquam deinceps ulli mutationi subjicerentur, eodem modo ac textus epistolarum apostolicarum non alius esse potest in Occidente, alius vero in Oriente, seu talis in primis Ecclesiae seculis, et diversus in sexto et sequentibus. Verumtamen nihilominus Apostoli, ante suam ab invicem separationem, eodem modo celebrabant fractionem panis, eodem modo administrabant Baptismum et alia sacramenta. Quando vero discipuli Christi divisi sunt, orbemque terrarum sibi partiti sunt, praecedentem modum conficiendi sacra mysteria et administrandi sacramenta non mutaverunt, sed potius transmiserunt saltem quoad substantiam diversis regionibus, quas luce evangelica illustraverunt. Hinc eruuntur duae consequentiae magni ponderis:

1. Canonem Missae Romanum, in quo nobis exhibetur textus omnino integralis hujus formae, horumque rituum, nullo modo attribui posse alicui Apostolorum tanquam ipsius personalem scriptionem seu ordinationem, siquidem iste Canon non est idem a multis seculis in Oriente et in Occidente, et etiam Romae aliquas subiit decursu temporum modificationes.

2. Nihil vero obstat quin iste Canon pertineat ad aetatem apostolicam tanquam elaboratus pro prima vice ab aliquo ex discipulis Apostolorum Petri et Pauli, eorumque jussu ac sub eorum oculis. Quo casu dictus Canon revera Apostolicus haberi et dici potest, licet postea revisus fuerit et aliquot additamentis auctus. Rem vero ita se habere credo et asserere non dubito post majorem theologorum numerum ac etiam, quod majus est, post Patres Tridentinos. Sed antequam proponantur demonstrativa testimonia Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum quinque primorum Ecclesiae seculorum, necesse videtur ut in lucem ponatur textus quidam S. Gregorii Magni, qui a multis immerito habetur tanquam contrarius huic Apostolicitati Canonis Missae.

Art. 3. Probatur S. Gregorium Magnum nunquam impugnasse apostolicitatem Canonis Missae.

S. Gregorius Magnus, a cujus diebus Canon Missae nullam amplius passus est mutationem etiam quoad litteram¹⁾ multa et praeclare in suis scriptis asseruit de Missa et ejus mysteriis; sed quidam ejus de hac re textus ansam variis suspicionibus praebuit circa auctorem et aetatem Canonis Missae. Loquor de quadam epistola scripta ad Maximianum Syracusae episcopum, in qua fatetur Sanctus Pontifex quod: „murmurant aliqui contra nos, quia orationem dominicam mox post Canonem dici statuerimus.“²⁾ Quibus respondet simpliciter et sine fuce Gregorius:

„Orationem Dominicam mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit ut ad ipsam (solummodo) orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum fuit ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuerat, super ejus corpus et sanguinem taceremus.“³⁾

Haec sunt verba Pontificis, quae profecto primo aspectu confundunt animum, et contraria videntur apostolicitati Canonis Missae. Re vero materius discussa, nullum ei de facto afferunt damnum, traditioque Patrum in suo statu permanet inconcussa: nam sola dominica oratio nunquam sufficere potuit ad conficienda sacra nostrae religionis mysteria et ex altera parte licet primus auctor Canonis Missae vocetur scholasticus nihil obstat quin simul pertineat ad aetatem apostolicam: quae duo successive probanda sunt.

§. 1. De usu orationis Dominicae in Missa secundum S. Gregorium et secundum Patres eo antiquiores.

Ex verbis allatis S. Gregorii circa antiquum usum orationis Dominicae in Missa duas conclusiones extrahunt adversarii apostolicitatis Canonis, nempe asserunt 1. dictam orationem ante Gregorium non fuisse usitatam 2. eandem tempore Apostolorum unicam sufficientem fuisse ad conficienda sacra christianae religionis mysteria. Porro utraque conclusio rerum veritati contraria est. Ac primo nulla existit seu existere potest connexio inter verba Orationis Dominicae et formam essentialem consecrationis corporis et sanguinis Christi, ita ut haec sola oratio sufficiat ad conficiendam dictam consecrationem. Nam ad transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini necessaria fuit necessitate absoluta diebus apostolorum sicut et nostris aliquis tenor

¹⁾ S. Gregorius secundus 714—731 proposuerat introducere in Oratione: Communicantes memoriam Sanctorum, quorum hac die celebratur festum, sed ejus ordinatio effectu caruit.

²⁾ Regest. IX. 12.

³⁾ Ibidem.

verborum huic sanctissimo mysterio aptus et idoneus. Res per se patet. Aliunde S. Paulus id explicite asserit, quando dicit scribens ad Corinthios: „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?“¹⁾ Etenim benedicere calicem et recitare orationem Dominicam, duae res sunt omnino diversae et nihil commune habentes.

Item S. Justinus martyr, qui tam vicinus erat aetatis apostolicae, describens in sua Prima Apologia mysteria Christifidelium: „ei, qui fratribus prae est“ ait expresse, „panis affertur et poculum aquae et vini. Quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit et Eucharistiam exsequitur.“²⁾ Porro quis dicere auderet laudem et gloriam Deo Patri emittere per nomen Filii et Spiritus Sancti, idem esse ac proferre Orationem Dominicam, in qua tacetur omnino nomen Filii et Spiritus Sancti? Hinc certum est adverbium: solummodo non pertinere ad textum authenticum S. Gregorii nec aliud esse quam meram interpolationem alicujus anonymi. Ergo Sanctus Pontifex nunquam asseruit Apostolos solummodo ad Orationem Dominicam oblationis hostiam consecrassisse. Nunc venio ad alterum dubium: utrum et quomodo S. Gregorius introduxerit usum Orationis Dominicae in Missa Romana. Porro hic etiam cum grano salis intelligenda sunt verba adducta Sancti Pontificis. Nam longe ante eum Oratio Dominica recitabatur in Missa immediate ante Communionem. Hujus rei testes habemus omnino indubios Optatum, Hieronymum, Augustinum. Verba S. Augustini adducuntur inferius.³⁾ Ita vero se exprimit S. Optatus, loquens de Donatistis: „Dum manus imponitis, et peccata donatis, mox ad altare conversi, dominicam orationem praetermittere non potestis.“⁴⁾ Non minus clare S. Hieronymus: „Sic, inquit Christus docuit apostolos ut quotidie audeant loqui in altaris sacrificio: Pater noster qui es in coelis . . . et inferius . . . recenter baptizati statim in prima communionem corporis Christi dicunt: et dimitte nobis debita nostra.“⁵⁾

Quinimmo in testimonium adducere possum ipsum Sacramentarium Ecclesiae Romanae a Gelasio correctum et deinde ab ipso Gregorio revisum. Non remitto ad textum Canonis Missae, quem nobis exhibet istud sacramentarium, nam iste textus interpolatus est et continet additiones a Gregorio factas in oratione:

¹⁾ I. Corinth XI. 16.

²⁾ Justinus, Prima Apologia n. 65 et 67.

³⁾ Epistola 149, n. 16.

⁴⁾ Adversus Parmenianum, liber secundus, 20.

⁵⁾ Contra Pelagianos, liber tertius, 15.

Hanc igitur oblationem.¹⁾ Sed conferatur Missa christialis in coena Domini: in qua oratio: Hanc igitur oblationem profertur secundum antiquam et formam in qua similiter adsunt plures alii ritus a Gregorianis prorsus discreti, quin tamen desit Pater noster: Expleto enim Canone dicit: Oremus Praeceptis salutaribus moniti. Oratio Dominica Libera nos quaesumus Domine.²⁾

Adeat etiam lector Missam pro feria sexta in Parasceve et inveniet praescriptam esse Orationem Dominicam, licet plures ritus non sint iidem ac in Gregoriano codice.³⁾ Requiritur item Missa in Actione nuptiali, in qua nobis similiter offertur Oratio: Hanc igitur oblationem juxta priscam formam, et deinde hanc rubricam:

„Percomple canonem plenarium, et dicis orationem dominicam.“⁴⁾

Quid expressius desiderari potest circa usum antiquum orationis dominicae in Missa romana? Quid vero novi statuit Gregorius de ejusdem usu ut exinde in murmurationem inciderint Saeculi? non est facile illud definire. Juxta aliquot auctores oratio dominica primitus sequebatur fractionem panis, a Gregorio vero hic ordo inversus est ita ut dictam fractionem praecederet eadem oratio,⁵⁾ ut fit hodiernis temporibus. Sed in contrarium hujus sententiae venit Sacramentarium Gelasianum pro feria quinta in Coena Domini, juxta quod Romani post Orationem Dominicam, et ejus embolismum Libera nos quaesumus Domine, de more panem frangebant.⁶⁾ Rebus sic stantibus videtur probabiliter fuisse statutum, de quo loquitur Gregorius, non generale, sed speciale Siculis, apud quos forsitan hucusque non usitata fuerat in Missarum solemnibus orationis dominicae prolatio.⁷⁾

Quidquid sit de hac hypothesis, cui non est necesse assentiri, certum tamen haberi debet nunquam Apostolis solam Orationem Dominicam adhibitam fuisse in consecratione Corporis et Sanguinis Domini, sed una cum aliis formulis plus minusve nostro Canonis Missae conformibus. Nunc vero cui scholastico tanquam auctori S. Gregorius hunc Canonem voluerit ascribere et utrum

¹⁾ Sacrament. Gelasian. lib. 3, n. 16.

²⁾ Ibid. lib. 1. n. 40. Tres missas pro hac die indicat istud Sacramentarium, una vero in Gregoriano describitur.

³⁾ Ibid. n. 41.

⁴⁾ Ibid. lib. 3, n. 52.

⁵⁾ Lebrun: La Messe etc. tom. 2, pg. 147—149. Duchesne: Origines du Culte chrétien pg. 176.

⁶⁾ Sacramentar. Gelas. lib. 1, n. 40.

⁷⁾ In Constitutionibus Apostolicis describuntur mysteria sacra quibus revera deest oratio dominica. (VIII, 12 et 13.)

haec attributio aliquo modo noceat apostolicitati dicti canonis, diligenti studio inquirendum est.

§. 2. De Scholastico, qui Canonem Missae secundum Gregorium Composuit.

Si Romanus Pontifex, secundum quem Canonis Missae compositio cuidam Scholastico adscribitur in tertio decimo seculo Ecclesiae vixisset vel in sequentibus seculis, quibus temporibus vox Scholasticus jam a sensu obvio et naturali deflectens, novum assumpserat plane diversum et explicite determinatum, fatendum esset sine haesitatione auctorem primarium dicti Canonis nihil habere commune cum Apostolis et eorum aetate. Sed res se aliter habebant in undecim prioribus Ecclesiae seculis. Evolvomentem meam. Vivente S. Gregorio Magno ut aliquis nuncuparetur Scholasticus, minime requirebatur ut iste studuisset Aristoteli et ejus commentatoribus, sufficebat ut apprime versatus fuisset in litteris sive sacris sive profanis. Uno verbo, Scholasticus simplex erat titulus honoris, quo viri docti communiter et sine distinctione personarum insigniri poterant. Numerosa istius rei inveniuntur passim exempla in Regesto ipsius Gregorii: nam scholastici titulo libenter ille condecorat eos, quibus scribit. Ante eum vero non aliter agebant Hieronymus et Augustinus, quos solos hic brevitate causa in testimonium veritatis rerum adducere volo.

Prior etenim in suo Catalogo scriptorum enumerat inter coeteros quemdam episcopum Tmueos in Aegypto, nomine Serapionem „qui ob ingenii elegantiam nomen Scholastici meruit.“¹⁾

Episcopus Hipponensis ulterius preedit: nam Christum Dominum nostrum audet vocare nomine Jurisperitum, quia composuit Orationem Dominicam.²⁾ Quo casu Jurisperitus idem est ac Scholasticus, ut clare eruitur ex alio textu ejusdem eximii Doctoris, quem omittere nequeo:

„Qui habent causam, ait Sanctus Augustinus et volunt supplicare Imperatori, quaerunt aliquem Scholasticum (seu) Jurisperitum, a quo sibi preces componantur.“³⁾

Quis scit utrum verbis tam explicitis non alluserit S. Gregorius quando cuidam scholastico attribuit compositionem Canonis Missae? Nonne iste Canon haberi potest tanquam supplicatio, quam quotidie Ecclesia Deo Patri exhibet nomine Christifidelium? Quod si lector huic sententiae non adhaeret, in dubium saltem revocari non potest titulum scholastici simplicem fuisse, vivente Gregorio, titulum honoris, quo insigniri poterant etiam S. Clemens Romanus, seu quilibet alius ex Patribus

¹⁾ Catalogus n. 99.

²⁾ Enarrat. in Psalm. LIX. n. 14.

³⁾ Tractat. VII. in Joann. n. XI.

aevi apostolici. Unde certum est in errorem versari eos qui existimant verba allata S. Gregorii, tum de usu apostolico Dominicae orationis, tum de scholastico auctore Canonis Missae, non posse conciliari cum apostolice dicti Canonis. Lis ergo remanet adhuc sub iudice eodem modo ac erat antequam Sanctus Doctor suam epistolam conscriberet.

Quo rerum statu, ulterius procedens, ipsummet Canonem percurram per partes, ejusque orationes constitutivas, unam post aliam scrutabor et explanabo, conferens simul cum testimoniis Sanctorum Patrum quarti et quinti seculi ut ex hac collatione clare elucescat eundem Canonem antiquiorem esse ultimis annis quarti seculi. Post quam probationem facilius ostendetur nihil obstare quin idem documentum scriptio sit personalis alicujus ex discipulis Apostolorum.

(Continuabitur in seq. fasc.)

Die päpstlichen Provisionen auf deutsche Abteien während des Schismas und des Pontificats von Martin V. (1378—1431.)

Von P. Konrad Eubel, Ord. Min. Conv. Rom.

Mit der Aufzeichnung der päpstlichen Provisionen auf die sämtlichen Bisthümer der kath. Kirche aus den Registerbänden des vatikanischen Archivs beschäftigt, musste ich namentlich für die Zeit des grossen Schismas die Erfahrung machen, dass das betreffende Material nicht nur mehr als für irgend eine andere Zeit mangelhaft sondern auch sehr zerstreut und schwer auffindbar ist. Letzterer Umstand veranlasste mich, ausser den Provisionen der Bischöfe auch noch jene der Aebte der deutschen Klöster für den erwähnten Zeitraum zu verzeichnen; es konnte dies ja ohne besondere Mühe geschehen, da die Provisionen sowohl der Bischöfe als auch der Aebte immer mit und unter einander in den nämlichen Faszikeln der päpstlichen Registerbände unter der gemeinsamen Rubrik „Provisiones Praelatorum“ vortragen sind. Der Ausdruck „Deutsche Klöster“ darf übrigens nicht so genau genommen werden. Ausser den im Umfange des jetzigen deutschen Reiches gelegenen Klöstern wurden auch jene von Deutsch-Oesterreich incl. Böhmen-Mähren und der Diocese Krakau sowie jene der Diöcesen Basel, Lüttich und Utrecht berücksichtigt, während die Klöster der damals noch zu Deutschland gehörigen Bisthümer Toul und Verdun übergangen wurden.¹⁾

¹⁾ Die Diocese Chur wäre berücksichtigt worden, wenn Klöster derselben vorgekommen wären.